

in ejusmodi nodis Gordiis frustra luctetur, qui non secum judicii acumen affert.

§. 27. Cæterum hæc naturalis capacitas doctrinæ dexteritate, ususque solertia, ad altius fastigium evehi potest atque debet. Hinc non est, cur hebetiores despondeant animum, si ipsis noverca natura contigerit; imprimis cum ingenii igniculi sæpius veluti in saxis lateant, qui postea assiduo studio elicit in magnam flammam coalescunt.

§. 28. Quoniam autem, ut jam diximus, judicii vires majoris sunt faciendæ, quam cæterarum facultatum; sequitur etiam in cultura animi ita curas esse dividendas, ne plus memoriæ, quam judicio, destinemus. Licet enim non dixerim, omnem memoriæ cultum esse abjiciendum, dum satis constat, eam quiete atque cessatione mutari subinde in pejus, æruginæque obduci: Illi tamen quoque præposteræ confusionis absolvi nequeunt, qui studiosius memoriæ expoliendæ invigilant, quam judicio, nescii aut obliviosi, judicii micam memoriæ ponderi esse præferendam, judicii que vires vehementem in modum infringi, si res multæ anxie & verbotenus memoriæ commendentur dicam an infarciantur? Medii tutissimi ibunt.

§. 29. Et quamvis omni ætate largus semper ingeniorum provenus fuerit; pauci tamen ad veram solidamque doctrinam pervenerunt, quia altero habitatis membro destituti fuerunt. Est illud *naturalis, vera & indistricta proficiendi cupiditas*, qua absente, vel excellentissimi ingenii vires langvent, turpique otio atteruntur.

§. 30. Sed dixi notanter, (1) *naturalem*, quia a naturæ quodam instinctu proficisci debet. Et sanè in sciscitando hoc instinctu eo majori opus est sagacitate, quo abstrusius latet quandoque, & quo facilius nobis non animadvertentibus aliquid obrepere potest, quod ejusmodi instinctum simulet. Appellavi (2) *veram*, ut ab ea excluderem omnem eam cupiditatem, quam incauti parentes spe honorum, opum atque voluptatum in liberis accendant, imitati Ciceronis exemplum, qui satis arroganter suum Marcum admonet: *Sustines non parvam spem imitandæ industriæ nostræ, magnam honorum, nonnullam fortasse Nominis.* (lib. 3. de Offic. cap. 2.) Et hæc mihi videtur unica causa, cur multi, quamvis de eo seriò meditentur, scrutando assequi nequeant, quibus studiis sint initiandi. Parentes enim ipsis adhuc pueris quodam

dam